



3,470.
1356
1763/5
A3
//

DISSE^TAT^O IVRIDICA
DE
ERRORIBVS QVIBVSDAM
CIRCA
QVERELAM INOFFICIOSI
TESTAMENTI

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
CONSENSV
SVB PRAESIDIO
CAROLI FRIDERICI PAELIKE
I. V. D. ET SOCIET. TEVT. DVC. MEMB. HONOR.
IN IVLEO MAIORI
AD D. XXV. OCTOBR. 1763
PLACIDAE ERVDTORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT
ADOLPH. HEINR. FRID. GOTTL.
A WITTORFF
EQVES LVNEBURGENSIS.

HELMSTADII
E TYPOGRAPHEO VIDVAE SCHNOKRIANAEC, ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO IVRIDICA
DE
ERRORIBVS QVIBVSDAM CIRCA
QVERELAM INOFFICIOSI
TESTAMENTI.

P R O O E M I V M .

L icet teste Neratio in l. 2. ff. de iur. et fact. ignor. Ius certum ac finitum esse possit ac debeat; attamen largam quae in applicando versatur Iurisprudentia exemplorum messem exhibet probantium, ius vagum incertum ac multis erroribus naeuisque esse adispersum. Ex ipsis

A

autem

autem legibus hanc incertitudinem deriuare nefas esset, cum leges claris ac perspicuis verbis a Diuis nostris Legislatoribus sint conceptae. Alii itaque debent esse fontes et origines quos difficiliores esse detectu, nondum persuasus sum. Si enim rem penitus introspicimus, incertitudinem hanc maxima ex parte ex opinionibus communibus, quae simul communes plerumque sunt errores, ortum duxisse, inueniemus. Etenim, cum Ius nostrum in ordinem redactum et Commentariis illustratum sit, alii Ictorum, nescio, qua commoditate correpti, ex ipsis sacrae Iurisprudentiae fontibus Scientiam haurire, subterfugiunt, Illustrium Doctorum opinionibus a principiis iuris saepe alienis contenti. Alii, licet de insto et aequo bene edocti, mentem legum intelligent, ex historia rationem cur, et a quo lex data sit, sciant, et scientiam temporis, quo lex lata, habent; attamen, quod mirandum simulque dolendum est, nihil iis magis in deliciis est, nisi quod antiquitatem redoleat, neque hoc curae sibi datum credunt, illud, quod a maioribus traditum acceperunt, atque quod in curia fere fine ratione observatum fuit, relinquere, tollere, vel saltem emendare. Etiam-

iamsi quis mortalium insurgat, qui siue aemulatione gloriae, siue varietate et nouitate operis delectatus, nouas reformandae iurisprudentiae theses scripto committat, rem magni prorsus et animi et operis aggressus. Laudatur quidem, aliquando huic applauditur; paucis tamen in mentem venit, naevos Iurisprudentiae relinquere, paucisque cordi est, illud se. qui, quod principiis et analogiae iuris sit consentaneum. Nil iis rectum est, nisi, quod cum obseruantiae barbarie ac tyrannide conueniat. Quinam vero illorum ignaviae? quinam horum obstinationis effetus? magni profecto! cruda studia in forum propellunt, euertendisque aliorum fortunis quaestum faciunt. Sed missis his, nos veritatis amatores, rationisque indagatores, fugiamus obseruantiae barbariem, quae nullis nititur fundamentis, fugiamus aequitatem cerebrinam, inquiramus potius in legum rationes, sic felici euentu theoriam cum praxi conjungere, forique obseruantiam ab erroribus erimus liberaturi. His igitur rationibus motus, *de Erroribus quibusdam circa querelam Inofficioi testamenti*, animus mihi est, differere. Non vero fuit consilium carpendi vllius hominis: haec libido a me tam longe

A 2

ab-

abest, ut nihil mihi turpius magisque abominandum videatur. Sed volui erroneam fori obseruantiam demonstrare, simulque ex veris iuris principiis refellere. Quo vero iusto ordine procedam, prius ius antiquum a nouo seccernam, et quando querela inofficiosi testamenti obtineat, discutiam, posteaque errores in foro obtinentes proponam, denique eorum, quantum valent humeri, refutationem adiungam.

SECTIO PRIMA

DE:
DIFFERENTIIS IVRIS ANTIQVI ET
NOVI IN QUERELA INOFFICIOSI
TESTAMENTI.

§. I.

Antequam vero ad ipsam demonstrationem et refutationem opinionum, circa querelam inofficiosi testamenti in foro receptarum accedo, quaedam principia ex iure praemittam, ad quae argumenti mei expositionem applicabo. Quum enim hae mordaces opiniones maxima ex parte originem ex iuris antiqui et noui confusione trahunt, instituti ratio postulat, ut sollicite Iura Pan-

dicta-

dectarum a Iure Codicis et Nouellarum distinguamus.
 Maxima pars eoredit: I. *Ius Pandectarum nullas definit exheredationis causas, quas determinat Nou. n^o 15.* Patria enim Romanorum potestas tempore Regum Romanorum tam libera erat, ut filios vti occidere ira exheredare *I. n^o 15. in f. D. de lib. et poib. immo praeterire licet Cicero de Orat. I. 38.* Neque haec liberrima patria potestas legibus XII. tabb. est sublata, sed potius confirmata: PATERFAMILIAS enim VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA, PECVNIA, TUTELAVE SVAE REI ITA IVS ESTO: ita XII. tabb. Quoniam itaque ius erat, quidquid disponuissest paterfamilias, satis constat secundum has XII. tabb. 1.) nullam legitimant; quia nulla obligatio erat inter patrem et liberos ad eam relinquendam; 2.) nullas exheredandi causas; neque 3.) vilam rescissionem testamenti per querelam inofficiosi fuisse. Pater enim suo iure vtens liberalis nullam inferebat iniuriā. Sed haec laxa patrum potestas sub Imperatoribus valde imminuta est. Cum enim patres potestate sua, ut plerumque fieri solet, abutentur, et liberos sine villa causa contra officium dulce vel testamento exheredarent vel praeterirent, malignum circa sanguinem suum inferentes indicium. Talem vero rem esse arbitriam Imperatori Justiniano minus e re publica visum fuit, qua propter certas causas in Nou. n^o 15. determinauit, ob quas tantum liberi, parentes et certo

A 3

respe-

respectu fratres exheredes fieri, his autem deficentibus
heredes institui deberent.

§. 2.

II. Iure Pandectarum si obtinshat querela totum testamento corruebat l. 8. §. penult. l. 28 in f. D. et l. 13 C. b. t.
Quod vero iure Nouellarum mutatum est. Quum enim patres libertate liberos nominatim quidem, sed sine omni causa exheredandi abuterentur, non quidem directo contra XII tabb. peccabant; interim tamen eiusmodi exhereditationes intentioni legislatoris, ac officio pietatis aduerſari videbantur. Factum inde est, ut Praetores * de remedio cogitare ceperint, quo inique exheredatis succurreretur. Quamvis vero Praetores non essent legislatores, callide tamen fingebant, patrem liberos inique exheredantem, non sanas mentis fuisse l. 2. D. de inoff.

test.

* Non obstante aliorum opinioni eis hanc querelam ex Edicto Praetoris derivare haud dubito, ob textum Pauli Recept. sentent. IV. 8. 5. vbi dicitur: *qui sui iuris sunt, ipso iure heredes, etiam ignorantes, constituantur, ut furiosi aut infantes et peregrinantes, quibus B. P. propter PRAETORIAM ACTIONEM non erat necessarium.* Inde vel ideo coniicio, per PRAETORIAM ACTIONEM hanc que-

relam intelligi, quia hereditatis petitio possessoria esse nequit, cum illa requirat honorum possessionem, quam Praetor exhereditatis propter hunc Pauli locum et l. 8. pr. D. de B. P. contra tabb. non pollicetur; de alia Praetoria actione vero (si non est querela haec) non constat, quae ad hunc casum applicari possit conf. PITHAEVIS collat. leg. Mosaic. et Rom. 16. v. 3.

teſt. quia furiosi ex principiis legum XII. tabb. potestate testamenta condendi, destituti erant. Sub hoc itaque colore testamentum inofficium declarabant, in quo parentes tam maligne de ſanguine ſuo iudicafſent, ut posteri tati parum aut nihil reliquifſent, et dabant querelam inofficioſi testamenti ad totum testamentum tam quoad heredis institutionem, quam quoad cetera capita, ſub hoc colore reſcindendum l. 6. §. 1. D. b. t. Nec hic admittebatur probatio contrarii, testatorem fuſſe integrae mentis, quia ipsa exhereditatio vel praeteritio furorem ſatis arguit. Hanc vero Praetorum diſpoſitionem in Digesta relatam, ab ipſo Imperatore I V S T I N I A N O ſublatam eſſe legimus ex Nov. uſ. c. 3 in f. et c. 4 in f. ita, ut querela inofficioſi instituta, et victoria obtenta, non totum testamentum, ſed tantum heredis institutio reſcindatur, legata vero aliaque capita ſint ſalua. Hinc autem merito concludo, Iuſtinianum hunc colorem iſanae mentis per Nou. uſ. fuſtuliffe, quod ex conſeruatione reliquorum capitulorum praeter heredis institutionem appetat: alias enim quum furiosus plane non gaudeat testamentum condendi facultate, ius antiquum omnino obtinere et totum testamentum corrueſe deberet. Sed vid. diſſent. B A C H O V I U M ad Treutl. b. t. tb. 6. E. Verum eius argumenta non ſunt eius reboris, ut calculum illis noſtrum apponamus. Eodem modo iudi-
cet fanus Lector de ſententia V I N N I I in Commentario ad

Inſt.

Inst. b. t. pr. n. 8 hodie singendum esse testatorem furiosum fuisse, quum heredem institueret, sanâ autem mente polluisse; quum legata relinquerer. Nullus profecto pro parte sanus et furiosus singi potest. Sane et ego non video ex quanam ratione ad statuendum, hunc colorem esse sublatum, difficiles esse velimus, quum hodie haec querela ex noua Iustiniani constitutione definita ac Ius hereditibus necessariis datum est directo testamentum impugnandi. Imperator profecto Legislatorque non singit sed iubet, et hoc quoque a nostro Imperatore in laudata Nouella factum esse, quilibet, vel me non monente, concedere debet.

§. 3.

III. *Iure Pandectarum* hacc querela obtinebat, si aliquid, sed non tota legitima relicta fuerit, quod iure Cadicis mutatum est. Quum per colorem furoris sub quo Praetores introducebant querelam inofficiosi testamenti, defunctus plane inhabilis ad testandum fuisse fingeretur, primis temporibus necesse erat, ut illi, qui per eiusmodi testamentum se laesos esse credebant, vel totum testamentum per querelam inofficiosi euerterent, vel exclusionem ab hereditate aequo animo ferrent. Hanc vero dispositionem Imperator CONSTANTINVS per actionem medium, qua nec testamentum impugnatur,

retur, nec legitimae aliquid decederet, immutauit, disponens, vt si filius in testamento patris minus quarta obtinueret, quarta sibi a coheredibus fratribus citra inofficiosi querelam impleretur. PAVL L. 4. sent. tit. 5. §. 7. idem produceretur ad eum casum, quoties defunctus iussirerit, vt, si quid minus filii sit relictum, quam modus quartae efflagitaret, id ipsum ab herede etiam extraneo eisdem in pecunia completeretur l. 46. C. Theod. de inoff. test. Querela tamen in eo casu nondum penitus fuit prohibita, sed institui potuit, quamvis pars legitimae tantum ademta esset, vt constat ex l. 8. §. 8. 9. D. de inoff. test. l. 30. 31. C. eod. l. 2. C. Gregor. eod. l. 1. C. de inoff. donat. Si enim testator id, quod minus forte legitima relictum esset, repleri iussisset, supplementum legitimae salvo testamento ab heredibus petitum est. Sin autem supplementi mentio facta non esset a testatore, querela inofficiosi testamenti, utique impugnari potuit testamentum, vel IUSTINIANI temporibus adhuc obtinebat l. 30 C. de inoff. test. Ex iis vero, quae modo dicta sunt, satis manifestum est, ante Constitutionem IUSTINIANI nullam legem imposuisse heredibus obligationem, vt in eo casu, si testator minus legitima relinquenter alicui, nec eius quod deest repletionem iuberet, supplementum illud praeflarent, quippe melius per querelam prospectum erat illis, quibus legitima deberetur. Hoc postea a IUSTINIANO expresse per

B

leg.

leg. 30. C. de inoff. test. et §. 3. Inst. eod. ita mutatum est, vt si aliquid et non tota legitima iis, quibus debetur, relata esset, non odiofa querela, sed actio suppletoria ad supplendum, quod legitimae deest, institui posset. Quae autem actio suppletoria, cum a IVSTINIANO non determinatur, quo genere actionis vtrendum sit, recte conflictio ex lege vocatur l. vn. ff. de cond. ex lege.

§. 4.

IV. Iure Pandectarum legitima quocunque titulo vel particulari vel universaliter relinquere poterat, quod iure Nouellarum mutatum est. Ante Nou. 115 enim vel singulari vel vniuersali titulo legitima relinquere poterat, vt appareat ex §. vlt. Inst. de inoff. test. l. 8. §. 6. ff. eod. l. 35. §. 2 C. eod. Nov. 18. c. 1. Vnde consequitur eo tempore praeteriri potuisse illos, quibus legitima debetur, si vel alio modo defunctus illam adsignauerat. Nec hucusque distinguunt leges inter liberos, parentes et fratres. IVSTINIANVS vero per Nou. 115. c. 3. 4. et 5. ratione parentum et liborum disposuit, vt illi heredes instituerentur; rationem de hac dispositione sistit l. vn. C. quand. non pet. pars. vt scilicet non adeuntibus ceteris heredibus, possit filius iure accrescendi succedere, quod alias in vero legatario secus fuit, vñque dum etiam de illo Nov. 1. c. 1. ius nouum constituit. Ratione fratrum autem adhuc ius antiquum obtinet, quia

IVSTI.

IUSTINIANVS hac noua constitutione neque implicite neque explicite eos heredes institui iubet, sed speciatim de liberis c. 3. cit. *Nou.* ius nouum constituit, et eandem dispositionem iisdem fere verbis quoad parentes c. 4. diserte repetit. Nec interpretatio extensiua hic admitti potest. Rationem vero in eo positam esse credo, quod exhereditatio et praeteritio fratrum pro tanta injuria non haberetur, siquidem in plurimis casibus necesse non erat, illis vel minimum relinquere. Sufficiat differentiam iuris antiqui et noui inde diiudicandam. Reliquas iuris antiqui mutationes suo loco in speciali pertractatione adducam, et errores inde natos atque per obseruantiam fonti approbatos demonstrabo.

§. 5.

Datis his principiis, me ad indagationem quaestio-
nis, quando querela inofficiosi testamenti locum sibi vindicet,
accingo. Permultae enim opiniones et errores in foro
obseruantur, vbi Practici a vera via aberrant, saepissime
querelam nullitatis et inofficiosi testamenti confundentes.
Iam vero locum habet querela inofficiosi testamenti, quan-
do quis rite quidem, sed inique est exheredatus. Rite ex-
heres factus autem ille dicuntur, qui I) nominatum II) pu-
re, non sub conditione l. 3 §. 1. ff. de lib. et postb. III) a to-
ta hereditate l. 19. ff. cod. IV) ab omnibus heredibus et ab

B. 2

omni

omni gradu l. 3. §. 2. 3. 6. ff. eod. est exclusus. Si ergo ex his requisitis vnum deest, datur nullitatis querela. *Inique* vero exheredatus ille dicitur, qui quidem rite est exclusus, neque tamen I) exheredationis causa reperitur in testamento expressa, aut II) si causa exheredationis quidem adiecta, sed in Nou. 115. c. 3. non fundata deprehenditur, aut III) si causam exheredationis a testatore in testamento omnino expressam, inque Nou. usc. esse approbatam, apparet, veritas autem caufae adpositae probari non potest. At vno horum requisitorum deficiente exhereditatio est iniqua, et querelae inofficiosi testamenti locum facit. Nonne autem, et me non monente, satis luculenter adaptaret, minus accurate LUDOVICVM in Doctr. Pand. tit. de inoffic. test. §. 10. et 11. et qui eum securus est GASSERVS in diff. de origine querelae inoff. §. 17 et 24. rite et inique factam exheredationem explicuisse, atque maximas confusas harum vocum ideas proposuisse. Neque vanam esse verbi *rite* atque *inique* explanationem, quis non videt. Multum enim refert, utrum querelae inofficiosi, an querelae nullitatis locus detur. Et quidem I) ratione durationis. Querela enim nullitatis, tanquam remedium iuris civilis, praescribitur triginta demum annis l. 3. C. de praescript. 30. vel 40. annorum, querela vero inofficiosi testamenti, tanquam actio odiosa l. 16. et 34. C. de inoff. test. anterioribus limitibus est circumscripta, et per quinquennium tantum

con-

conceditur. II) Ratione effectus: Si enim testamentum querela nullitatis impugnatur, victoria obtenta, plane nullum declaratur, omnibus destituitur effectibus, omniaque eius capita corruunt, adeo, ut nihil virtutis atque efficacie ipsi possit adtribui. Si vero testamentum querela inofficiosi impugnari potest, non totum corruit testamentum, sed tantum heredis rescinditur institutio, reliquaque testamenti capita, ut legata, fideicommissa, tutoris datio, donatio, salua manent *Nou. n. c. 3.* III) Ratione contumaciae: Si enim reo exceptio inofficiosi testamenti saltem competit, valet sententia contra heredem ab intestato contumaciam et transit in rem iudicatam: contra vero, si reo exceptio nullitatis competit, non transit in rem iudicatam *vid. Schilterum Exerc. XIV §. 2.* IV) Ratione transitionis hereditariae: Querela nullitatis enim in heredes transit, non autem iure veteri querela inofficiosi testamenti, nisi praeparata, sive in forum a defuncto iam deducta *l. 6. §. f. l. 7. ff. l. 34. et penult. C. de inoff. test.* Iure novo ad descendentes etiam non praeparata transmittitur, ad extraneos autem non nisi praeparata *l. 34. l. penult. et vlt. C. eod. V)* Addunt plures differentiam ratione legati, statuentes: illum, qui testamentum inofficium impugnat, legatum sibi relictum amittere ob *leg. 8. §. 14. ff. eod.* Econtrario, qui testamentum dicit nullum non amittat legatum *SCHILTER l. c. ob l. 5. §. 1. ff. de*

ff. de bis, quae vt indig. Sed hunc errorem in sequenti-
bus adducam. Limites itaque praefecti satis testantur
de virtute huius susceptae explanationis.

TRACTATIO SPECIALIS
IN QVA
QVIDAM ERRORES CIRCA QUERELAM
IN OFFICIOSI TESTAMENTI
TRADVNTVR.

E R R O R . I

Quo vero serena fronte reliquis erroribus obuiam ire
possimus: instituti ratio postulat, vt *Consult. HOMME-*
LII in differt. de victoria querelae in officiosi tertio proficua,
aliorumque errorem detegamus eiusque refutationem su-
scipiamus. Suppeditata laudatus ICrus §. 9 hanc querelae
in officiosi testamenti, definitionem: *est practoria hereditatis*
petitionis actio, qua testamentum, per quod rite quidem,
est inique a debita hereditate excluditur, tanquam in officio-
sum in totum petimus rescindendum. An haec definitio
principiis logices conueniat, aliorum disquisitioni relin-
quamus. Nos tantum consectaria ex hac definitione in
§. 12 deducta mouent, quibus afferitur, per querelanam
hanc totius testamenti rescissionem perendam esse. Ad
huius theses defensionem sequentes adfert rationes, quia
I) in

I) in l. 28 ff. l. 28. 30. pr. et l. 34. C. de inoffic. test. absque villa certae partis facta mentione testamentum in genere rumpi atque rescindi dicitur. II) Si testamentum pro parte saltim rescinderetur, revera testator pro parte testatus, et pro parte intestatus decederet contra l. 7. ff. de R. I. Ad hanc secundam assertionis rationem duas obiectio- nes sibi format noster HOMMELIUS easque a se refuta- tas esse censet, quarum I) hacc est: Hoc casu id non contingere facto testatoris qui condit testamentum, sum- mo iure in totum validum, sed facto legis, quae illud postmodum ex parte rescindat. Sed responsio ei in promtu est: hanc rescissionem fieri omnino ex facto te- statoris. Siae enim quis condat testamentum, ab initio statim ex parte nullum s. ex postfacto pro parte rescinden- dum, in effectu perinde est. Quae vero instantia mihi quidem haud fucata, sed non satis refutata videtur, qua propter id merito adhuc addo: hanc regulam tantum lo- cum sibi vindicare ratione initii; quia ab initio nemo ita testari potest, ut pro parte testatus, pro parte intestatus decedat, ex postfacto autem testamento, videlicet per querelam resciuso, pro parte intestatum reddi, absurdum non viderat l. 15. in f. l. 19. et 24. ff. de querela inoff. test. In persona enim testatoris hereditas tantum est individua, quia una est, nec decedit pro parte intestatus, quia testa- mentum tunc adhuc ex omni parte validum est. In per- sonis

Sonis vero heredum et legatariorum hereditas est diuidua,
et quasi tot sunt hereditates, quot heredes et legatarii,
ergo ex postfacto pro parte rescindi potest. Altera quam
sibi format obiectionem haec est: falsam omnino hanc
esse cit. leg. 7. regulam, cum aliis in locis plus simplici-
tate hoc Romani permiserint. Respondeat vero, se non
ignorare, regulas iuris ciuilis tam firmas atque vniuersa-
les haud esse, vt nullam prorsus exceptionem admittant,
interim tamen semper firmas manere, in quantum con-
traria lege vel ratione non infringuntur. Haec vero re-
sponsio mihi non satisfecit: prouoco enim ad Nou. 15. c. 3.
vbi expresse haec lex per generalem constitutionem subla-
ta est. Ibi ita disponitur: *Si vero contingat in quibusdam*
talibus testamentis, quaedam legata vel fideicommissa, aut
libertates, aut tutorum donationes relinqui, vel quaelibet alia
capitula concessa legibus nominari: EA OMNIA IVBEMVS
ADIMPLERI, et dari illis, quibus fuerint derelicta, et tan-
quam IN HOC NON RESCISSVM OBTINEAT TESTA-
*MENTVM et in cit. Nou. cap. 4 in f. Sed RESCISSO TE-
STAMENTO, eis qui ab intestato ad hereditatem defuncti
vocantur, res eius dari disponimus: LEGATIS videlicet vel*
fideicommissis - - - SVAM OBTINENTIBVS FIRMITA-
*TEM. Verba! sole meridiano clariora, et legem posterio-
rem derogare priori, est regula ab vniuerso ICtorum or-
dine recepta. Ad corroborandam primam rationem Au-*

ctor noster instantiam ex iam a me adductis verbis cit.
Nou. sibi facit, et responderet: hanc mutationem esse fa-
 ctam contra omnem iuris Romani rationem, et forsitan
 suauis clericis, cui per testamenta magna plerumque relin-
 quebantur legata, quae adeo per querelam hoc modo
 cuncti aegre pariebantur. Ad haec ego ingenuus respon-
 debo, dissimulare enim mei ingenii non est. Omnia fate-
 bor efficaciamque summo studio, ut lectors nihil habeant
 omnino, quod de me conquerantur. Lex ita scripta est.
 Cuius autem instigatione ac suauis haec Constitutio lata, ni-
 hil neque ad me neque ad Illustrem ICtorum ordinem
 pertinet; alias omnes leges, quae suauis alicuius a legislator-
 tate latae essent, (o Deus omen auertas in posterum)
 abrogari deberent. Stat itaque nostra sententia firmo ni-
 xa talo, per querelam inofficiosi testamenti non totum
 corrumpere testamentum, sed tantum heredis institutionem,
 reliqua vero testamenti capita salua manere, sed hoc ea
 cum limitatione intelligi volo, nisi totum testamentum esset
 inofficium, hoc enim in casu plane rescinderetur, quia
 plane esset inofficium. Et hanc meam sententiam confir-
 mat HAHN ad Wesenbeicum b. t. n. XI. cum responso ex
 Illustri Facultate Iurid. Helmst. de 1690 d. 20 Oct. in cau-
 sa Proutorum der Kirchen St. Martin: *Ob zwar heredis in-
 stitutio basis et fundamentum totius testamenti ist, und dem-
 nach wann selbige heredis institutio unkräftig, das ganze te-*

C

ftamen-

*fragmentum und folglich alles andere so in dem testamente prae-
 ter heredis institutionem enthalten, auch corruiren müsse.
 Dieweil aber iedoch die DD. und Communis Praxis dabин
 geben, daß obſchon ein testament quoad heredis institutionem
 nicht beſteben kan, dennoch quoad cetera in eo relicta et di-
 ſpoſita, und also auch quoad legata nichts deſto meniger ſeine
 Kraft und Würkung babe, als ſteben wir in denen reebli-
 chen Gedancken, daß, wann gleich ratione heredis institutio-
 nis, das testamentum der Frau W. nicht beſtändig, iedoch
 zum wenigſten derofſelben heredes ab intestato die darin ver-
 ordnete legata denen Kirchen zu entrichten ſchuldig V. R. W.
 Quemadmodum vero per hanc querela non torum te-
 ſtamentum, ſed heredis institutio tantum reſcinditur, ita
 quoque prono alueo ſluit, definitionem huius querelae
 non conuenire ſuo definito. Quum vero, vtrum defin-
 tio querelae inofficioſi lata fit, quae cum nouis disposi-
 tionibus Iuris Nouellarum conueniat, dubitem, eam ſup-
 peditandi animus mihi eſt. Querela inofficioſi testamenti eſt
 actio praetoria realis, quae datur illis, qui a legitima rite
 quidem ſed inique ſunt excludi, aduerſus heredem in hoc teſta-
 mento ſcriptum, ad teſtamentum quoad heredis institutionem
 reſcindendum, et hereditatem ab intestato auocandum. Hoc
 praemiflo, feliciori ſuccesſu fuſceptum meum proſequi
 et ei finem imponere audeo.*

ERROR.

ERROR. II.

Iure meritoque notandum esse et obseruantiae et IC-torum errorem credimus, ex quo tacitam querelae in-officio renunciationem ex legati petitione profluere fingunt. Plerique enim souent errorem, quod, qui vel suo vel alieno nomine et quidem sponte aduocando scilicet, non vero ex necessitate officii, vtpote si tutor nomine pupilli legatum acceperit, legatum ex tali testamento petit, vel ei oblatum accipit, tacite hoc testamentum agnoverit, adeoque huic querelae eo modo renunciauerit. Si itaque huic postea, hanc querelam in iudicio mouendi animus est, angebrachter massen a limine iudicij repellendum esse statuunt. Defensores huius opinionis inter ceteros sunt HEINECCIVS in *ELEM. IUR. CIVIL.* §. 584. n. 5. BERGER in *Oeon. Iur.* pag. m. 392. n. 3. WESENBECIVS b. t. §. 6. HUBERVS in *praelect.* ad *Infl.* b. t. §. 7. inf. et ad *Pand.* b. t. §. 18. inf. STRUVIVS in *Syntagm. Iur. Ciu.* b. t. HOPPIVS ad *Infl.* b. t. §. 4. LAVTERBACH in *Comp. Iur.* b. t. et in *Colleg. theor. præf.* b. t. §. 32. BOEHMERVS in *Doch. de Act. S. II. C. III.* §. 39. SCHILTER *Exerc. XIV.* §. 83. ENGELBRECHT b. t. §. 26. et plures alii, quorum nomina breuitatis causa praetermittere placet. Praedicti autem ICtorum Principes bene sciunt, ICtum sine lege loquentem omni autoritate desitutum esse. Qua propter opinionem sequentibus corroborare legibus intendunt,

nempe leg. 8. §. 10. leg. 10. §. 1. et l. 12. §. vlt. D. de inoff. test. Sed ipsae hae leges satis luculenter eorum demonstrant errorum. Quas ex iure antiquo, scilicet Digestis depromtas, quis ignorat? Nonne leges Digestorum per capita Nou. 115. muratae et in totum fere abrogatae? Olim enim fundamenti loco ponebatur color siue fictio furoris in hac querela. Nemo vero pro parte fanus et insanus fingi poterat. Hinc efficiebatur, ut totum testamentum non valeret, adeoque omnia testamenti capita rescinderentur, corrucante enim principali, corruit et accessorium. Qui itaque legatum sponte petebat suo vel alieno nomine, ille simul totum testamentum validum esse tacite declarabat, quia aliter facultate legatum in eo relictum petendi destitutus esset. Quoniam vero iure Nouellarum non totum testamentum corruit sed tantum heredis institutio, reliqua vero testamenti capita salua manent, nihilque commune habent cum rescissione testamenti, et ex eiusmodi testamento peti possunt; merito concludo, de eo, qui ad legatum vel fideicommissum siue suo, siue alieno nomine ex eiusmodi testamento consequendum sponte agit, non posse praedicari, quod tacite huic querelae renunciauerit, aut testamentum tanquam validum agnouerit. Aequitati potius et analogiae iuris magis consentaneum esse credo, inique exclusum, accepto legato, adhuc querelam hanc mouere posse. Nostram sententiam quoque stabili-

stabilitam reddit BAYERVS in Del. Iur. Civ. ad Inst. b. t. pos. 23. et 24. ad Pandect. b. t. pos. 35. et in Volckmanno emendato P. I. Tit. IV. c. 55. §. 12. In foro vero proh dolor constans ac pertinax grassatur obseruantia, illum, qui legatum suo vel alieno nomine sponte petit, querela inofficiosi testamenti amplius vti non posse. Iuris itaque principia securus barbarem hic obseruantiae tyrannidem inueniet.

ERROR. III.

Sunt quoque qui statuunt, testamentum esse ipso iure nullum, nec demum per querelam rescindendum, si causa exheredationis, quae continetur in *Nou. us. c. 3.* non sit expressa. Hunc errorem inter ceteros alunt COCCIVS in *I. Cont. b. t. qu. 7.* HEINECCIVS in *Inst. b. t. §. 582.* GASSERVVS de Origine Querelae in officio. §. 24 et 28. LUDOVICI in *Doct. Pand. b. t. §. 10.* BERGER in *Oecon. Iur. Lib. II. tit. IV. tb. 55.* et in *Resolut. Leg. Objt. b. t.* HAHN ad *Wesenbeicum n. 7.* BACHOVIVS ad *Treutl. disp. XIII. tb. I.* BOEHMER in *Doct. de Aet. Secl. II. Cap. III. §. 33.* et in *Doct. Pand. b. t. §. 12.* Hi ICTI Praeclarci argumentum ad stabiliendam suam opinionem a praeteritione deducere student. Si enim filius familias, a patre est praeteritus, testamentum esse ipso iure nullum affirmant. Si itaque causa exheredationis non est expressa filius est

præteritus, quia non legitime est exheredatus. Ergo testamento in quo filius sine adiectione causæ est exheredatus, est nullum. Sed quis, quæso! est, qui non primo obtutu errorem sentiat. Regulam iam olim decantatam: qui bene distinguit, bene docet, inuenies neglegtam. Nonne distinguendum est inter praeteritionem et exhereditationem? *Praeteritio*, ut definitionem, ad differentiam luculenter demonstrandam, tradam, est: *omissio heredum ab intestato in testamento facta*. Praeteritio itaque sit silentio, quando scil. nulla institutionis vel exhereditationis in testamento sit mentio. *Exhereditatio vero est personae, cui legitima debetur, ab hereditate exclusio*. Si itaque pater in testamento scriperit: *filius meus exheres esto*. Num haec formula pro praeteritione, an potius pro exhereditatione est habenda? Estne haec exhereditatio nominativum et pure facta? Si vero quis nominativum et pure exheredatus est, a nemine ei conceditur querela nullitatis, sed inofficiosa querela, licet causa exhereditationis non sit expressa. Inde itaque pater error I^ctorum de republica litteraria bene meritorum. Qua propter contrariam probationem huius theses in me suscipiam, et demonstrabo, nominativum et pure exheredatum, licet causa non adiecta sit, querela inofficiosa experiri posse ac debere. Testamentum quod nullum est, nullum effectum producit et totum corruit, non quoad heredis institutionem solum, verum etiam

etiam quoad legata et reliqua testamenti capita. At testamentum per querelam inofficiosi rescissum non in totum corrur, sed legata reliquaque capita praeter heredis institutionem manent salua *per err. I.* In *Nou. n⁵. c. 3. in f.* enim expresse disponitur, testamentum, in quo causa exheredationis non adscripta, tantum ratione heredis institutionis rescindi, ratione reliquorum capitum autem subsistere debere. Quae verba *in Nou. laudata capite 4. in fine* ad verbum repertitam inuenimus. Si autem verum est, eiusmodi testamentum, ob causam exheredationis omnifam, non in totum rescindi, sequitur in hoc casu non querelam nullitaris, quae ad omnia capita testamenti resoluenda tendit, sed querelam inofficiosi testamenti locum habere.

ERROR. IV.

Iam meis oculis obseruatur eorum opinio, qui posthumis aditum ad hanc querelam inofficiosi denegare contendunt. In quorum numero inuenio **COCCEIVM in Jur. Contr. b. t. qu. 14. HEINECCIVM in Elem. Jur. Ciu. b. t. §. 583. ENGELBRECHT b. t. §. 25.** Ceteri vero, hanc quaestione silentio praeterire videntur; qua propter, quid ego sentiam, communicare haud dubitau. Olim posthumi tanquam personae incertae ne heredes quidem institui poterant §. 25. *Inst. de legatis*, adeoque multo minus

nus exheredatione nominatim facta opus erat. Sed sufficiebat eos esse praeteritos. Postea vero introductum est, ut aut nominatim exheredarentur aut instituerentur *I. 10.*
ff. de lib. et post. §. 1 Inst. de exhered. lib. De qua noua dispositione duplex ratio reddi potest; quia 1) nasciturus habetur pro iam nato, si agitur de ipsius commodo *I. 7.*
D. de flet. hom. 2) quia **IVSTINIANVS** correcturus antiquam subtilitatem, nouas edidit constitutiones, ut et incertis personis aliquid, vel heredis institutione vel alio modo, in ultima voluntate relinquiri possit *§. 25. Inst. de legat. et §. 1 Inst. de honor. poss.* Iam vero Imperator disponit in *§. 5. Inst. de exhered. lib.* expressis verbis, ut idem a simile ius in natis ac posthumis valere debeat, quae dispositio quoque in *I. 3. et 30. §. 1. C. de inoff. test.* confirmata est. Ex dictis itaque sequitur, posthumis si solummodo a patre praeteriti sint, competere querelam nullitatis; si vero sint nominatim exhereditati querelam inofficioi eos monere posse. Causa enim exheredationis a patre exprimi non potuit, quia hae causae semper dolum praesupponunt, qui vero nondum natus est, dolose agere nequit. Supra vero in *Err. 3* demonstratum est, eum quoque posse hanc querelam mouere, qui nominatim exheres scriptus est, licet causa exheredationis non sit adiecta. Sequitur itaque, quod posthumis haec querela inofficioi non sit deneganda. Consentit **LAVTERBACH** in *Comp. Iur. h. t.*

ERROR.



ERROR. V.

Neque eorum nobis placet opinio, qui statuunt, emancipatos cum hac querela haud esse admittendos. Huic opinioni insistunt HEINECCIVS in *ELEM. IUR. CIV.* §. 583. HVEERV^S in *praecl. ad Inst. tit. de exhered. lib. §. 7.* BOEHMER de querela inoffic. fratrum consangu. §. 8. HAHN ad *Wisenbecciam tit. de lib. et postb. n. 4. et ab eo allegatus BACHOVIVS.* Quum vero hanc iniquitatem aequo animo ferre non possim, merito ex principiis iuris contrariam sententiam tuebor. Verum quidem est, olim emancipatos nec institui heredes, nec exheredari oportuisse, quia pro extraneis habebantur *I. 3. §. 1. D. de cap. demin. PRAETOR* tamen postea iis succurrebat, bonorum possessione contra tabulas, si vel non instituti, vel masculi nominatio-
nem, feminae inter ceteros essent exhereditati. §. 3. *Inst. de exhered. lib.* At neminem fugit, IVSTINIANVM discri-
men inter suos et emancipatos liberos, de quo §. 3. et 4. *Inst. de exhered. lib.* locutus fuerat, plane sustulisse, per §. 5. *Inst. eod.* expresse disponens, emancipatos aequè ac suos, vel heredes institui, vel nominativum exheredari debere. Ex quibus itaque sequitur, IVSTINIANVM ius simile in omnibus esse voluisse, ita ut omnes, emancipati quoque, aut instituantur, aut exheredentur. Et haec mea inter-
preteratio inde confirmatur, quod IVSTINIANVS in *Nou. 15. et 18.* nullo modo inter suos et emancipatos amplius

D

distin-

distinguat. Adeoque uti suis, ita et emancipatis competit pro diuerso casu vel querela inofficiosi testamenti vel nullitatis. Huic sententiae subscribit LAVTERBACH in Comp. Iur. b. t.

ERROR. VI.

Omnis Doctores et ipsam fori obseruantiam excusat illa famosa opinio, quod inofficiosi testamenti querelam instituenti et succumbenti, ex eiusmodi testamento aliquid capiendi facultatem denegent, si ei legatum, vel aliud quid in illo relictum fuerit. Hanc opinionem strenue defendunt SCHILTER Exerc. XIV. §. 21. BEYER in Delin. Iur. Ciu. ad ff. b. t. pos. 36. HEINECCIVS in Elen. Iur. Ciu. h. t. §. 584. LVDOVICI in Doct. Pand. b. t. §. 12. LAVTERBACH in Comp. Iur. b. t. et in Colleg. theor. præf. b. t. §. 31. RICHTER P. i. dec. 42. n. 12. HOPPIVS in Comment. ad Inst. Lib. II. Tit. XVIII. cocceius in Iur. Cont. b. t. qu. 24. BERGER in O. I. Lib. II. Thes. 56. STRUVIVS in S. I. C. exerc. X. tb. 28. BOEHMER in Act. Sch. II. Cap. III. §. 32. HAHN ad Wefenb. b. t. n. X. ENGELBRECHT b. t. §. 37. Rationem quoque sui adseriti adferunt: indignus iis videtur liberalitate testatoris, qui iudicium eius improbauit, eumque dementiae arguit. Qua propter legatum tanquam indigno ablatum fisco vindicandum credunt. Quoniam vero Doctori sine lege loquenti non creditur, ipsorum opinionem unanimiter

per

per l. 8. §. 14. D. de iusoff. test. confirmare cupiunt, quae lex ita sonat: *Meminiſſe autem oportebit, eum qui testamentum inofficiſum improbe dixit, et non obtinuit, id quod in testamento accepit, perdere, et id fisco vindicari, quaſi indigno ablatum.* Sed ei demum aſſertur, quod testamentum datum eſt, qui vsque ad ſententiam iudicium lite improba perſeuerauerit: ceterum ſi ante ſententiam deſtitit, vel deceſſit, non ei aſſertur, quod datum eſt. Profecto verba legis ſunt clara, et magnam auſtoritatem huīus opinionis deſensoribus conciliare viderentur; niſi lx 17. D. de legib. nos doceret: *Scire leges, non eſt verba tantum tenere, ſed vim ac potestatē legum;* ICtum itaque decer, vel porius vi officii ei iniumentum eſt, et in hoc caſu in ipsam huīus legis rationem inquirere. Ratio autem huīus legis in eo fundata eſt, quod ſecundum ius antiquum, ille, qui tale testamentum conſiderat, in quo ii, quibus debebatur legitima, erant exclusi, tempore quo testamentum condeſſet, furore ac iſtā laboraſſe, fingeretur, quod in §. 2. probatum dedimus. Ex quo ſimul conſequebatur, quod ille, qui querelam inofficioſi mouebat, testatorem iſtāniae ac furoris accuſaret. Si itaque cum hac querela remoueretur atque ſuccumberet, testatorem iniuria adfeciſſe videbatur. In poenam ergo huīus iniuriæ omnibus in hoc testamento ei relictis, per hanc legem priuabatur. Sic diſpoſuerat ius antiquum. Ex hac ratione torum teſtamen-

testamentum corruerat. Atque ex hac ratione amitterebat ille legatum, qui hac querela testamentum rescindere conatus erat. Quum vero Ius Nouellarum hunc colorem insanae mentis sustulerit, ipsa poena, qua in hac querela succumbens legatum perdit, sublata non solum esse deber, sed etiam per verba *Nou. 15. c.3.* sublata est. Verba huius Nou. iam in *errore 1. a me allata sunt*, qua propter hoc labore hic supersedeo. Ex hac IMPERATORIS dispositione quilibet, vel me non monente, intelliget eius mentem, quae eo tendit, quod non, ut iure antiquo, totum testamentum inofficium rescindi debeat, sed tantum quoad heredis institutionem, retentis reliquis testamenti capitibus. Inde autem prono alueo sequitur, IMPERATOREM antiquam fictionem, testatorem eo tempore non sanas mentis fuisse, quum eiusmodi testamentum iniquum conderet, plane sustulisse, quia alias, ut iam supra §. 2. monui, si iste color insanae mentis remansisset, nihil ex eiusmodi testamento subsistere potuisset, quum fictio idem operetur, quod veritas, et nemo pro parte sanus, et pro parte insanus fingi possit. Si vero haec legis explicatio cum intentione IMPERATORIS ac sana ratione conveniret, sequeretur porro, iniuriam quoque cessare deber, qua instituens querelam inofficiosi testatorem adfuisse credebat. Quum vero haec iniuria cesseret, cessare quoque debet poena amissionis legati in eiusmodi testamen-

stamento relieti, qua eum, qui querelam inofficiosi testamenti mouet, si succumbat, puniendum, censem, quamvis haec poena tantum ob hanc iniuriam testatori illatam esset statura. Sed etiamsi quis, contendere, querelam inofficiosi testamenti instituentem adhuc in testatorem iniurium esse, nihil impedit, quo minus hoc concedamus; Attamen semper veritati ac fanae rationi consentaneum maner, hanc iniuriam non grauiorem esse illa, quam is committit, qui querela nullitatis virtutur. Qum vero ille, qui querelam nullitatis intentat, et succumbit, legata non amittat, quod omnes vnanimi concedunt consensu, ita nec is, qui querelam inofficiosi testamenti instituit et succumbit, iure Nouellarum cum amissione legati puniri debet. Sed proh dolor! obseruantia fori tyrannis pertinax hanc aequitatem cum legibus conuenientem non agnoscit, legata, succumbenti actori rapta, fisco adiudicans.

ERROR. VII.

Iamiam alium Doctorum errorem, quo minus refellamus et veritatem defendamus, quid impedit. Plurimi credunt filium familias de bonis castrenis et quasi castrenis testantem, parentibus legitimam relinquere teneri, et hoc non obseruato, testamentum querela inofficiosi posse impugnari. Hanc opinionem defendit STRIVVVS in S. J. Ciu. Exerc. X. tbcf. 39. TREVILERVS b. r.

D 3

§. 3.

§. 3. HEINECCIUS in E. I. Ciu. §. 507. BÄYER Delin. I.
Ciu. b. t. pos. II. Refugium quaerunt laudati Autores in
Nou. us. c. 4. pr. vbi ita dispositum legimus: Sancimus ita-
que, non licere liberis, parentes suos praeterire, aut quolibet
modo a rebus propriis, in quibus habent testandi licentiam,
eas omnino alienare, nisi causas, quas enarravimus, in suis te-
stamentis specialiter nominauerint. His verbis perspicue
 probari credunt, liberos esse obstrictos, parentibus legi-
 timam relinquere, secus si fecerint, eiusmodi testamen-
 tum querela inofficiose impugnari posse. HAHN vero ad
Weseb. b. t. n. 9. et SCHILTER Exerc. 38. §. 114. hanc le-
 gem eo restringendam volunt, quod IVSTINIANVS tan-
 tum de testamentis paganiis non de militaribus disposue-
 rit, et quod Imperator taatum intenderit, licentiam exhe-
 redandi restringere, minime vero priuilegium militare
 tollere. Ego vero plane in contrariam abire cogor sen-
 tentiam, statuens: liberos de bonis castrensis et quasi
 castrensis libere testamentum condere posse, nec paren-
 tibus legitimam relinquere teneri, nec eiusmodi testa-
 mentum querela inofficiose impugnari posse. Sententiam
 meam stabiliri posse, credo, per l. f. Cod. de inoff. test., vbi
 ita legitur: *In his itaque omnibus sancimus, (quia ad imi-*
tationem peculii castrensis, quasi castrense peculum superuenit)
omnes, qui tale peculum possident, super ipsis tantummodo
rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, ultima condere (se-
 cun-

candum leges tamen) posse elegia: Hoc nibilominus eis addito priuilegio, ut neque eorum testamenta inofficiosi querela expugnentur etc. Quae verba clare indicant, filium familiias paganum de suo peculio castrensi vel quasi pro lumen testari et parentes excludere posse, neque his exclusis querelam inofficiosi competere. Verum quidem est, quod per Nou. 115. in genere dispositum sit, non licere liberis parentes suos praeterire. Iam vero haec Nouella tanquam posterior, derogat leg. f. C. de inoff. test. Sed quis est qui nesciat, priuilegia anteriora per generalem constitutionem posteriorem non tolli. Cui adhuc accedit, quod Nou. 115. Calend. Febr. Constantinop. Dn. Iustin. P. P. Aug. an. 15. id est A. N. C. 541. Basilio V. C. conf. indict. IV. lata sit, Nouella vero 123. demum Calend. Maii Constantinop. Dn. Iust. P. P. Aug. an. 20. id est A. N. C. 546. post conf. Basili. an. 5. indict. IX. et per hanc Nou. 123. cap. 19. sublatum sit dictae legis in filiis clericis priuilegium, quo non opus fuisset demum A. 546., si priuilegium illud iam A. 541. in totum per Nou. 115. abrogatum fuisset. Quod autem expresse correctum non est, cur stare prohibetur? l. 27. C. de test. l. 32. §. f. C. de appell. Nou. itaque 115. tantum loquitur de filiis emancipatis, et confirmat l. f. C. de inoff. test. vbi iam in §. 2. dispositum est: *Sed hoc obtainere oportet, donec in sacris parentum suorum constituti sunt hi, qui quasi castrensi peculium*

lēum possident: Si enim sui iuris efficiantur, procul dubio est, eorum testamenta, et pro ipsis rebus, quas antea ex quasi castrensi, peculio habebant, possē de inofficio querelam sustinere, cum neque nomen peculii permanet, sed aliis rebus confundatur et. Ex dictis autem lieuenter adpareat, filium familias paganum in patria potestate constitutum, de peculio castrensi et quasi castrensi libere disponere posse, et contra eius testamentum querelam inofficio locum non inuenire. Afferunt meum quoque adfirmat BOEHMER in Intr. in Dig. b. t. §. 14. et COCCIVS in Iur. Cont. b. t. qu. 19.

ERROR. VIII.

Neque eorum opinio nostram mererur adprobacionem, qui veterinis aditum ad hanc querelam inofficioi denegant. Principes huius famosae opinionis sunt HEINECCIVS in Elem. Iur. Ciu. §. 527. et 583. GASSERVUS de origine querelae inofficioi §. 19. FRANZK. b. t. n. 29. LAVTERBACH in Colleg. theor. praet. b. t. §. 21. et in Comp. Iur. b. t. CVIACIVS ad Nou. 84. ENGELBRECHT b. t. §. 25. REINOLDVS de causis, in quibus nunc querela inoffic. test. est necessaria §. 14. HAHN ad Wefenbec. b. t. n. 6. HOMMEL de Victoria querelae inoff. tertio proficua §. 23. et Conf. PÜTTMANNVS de querela inoff. test. fratribus veterinis haud concedenda. Concedunt quidem allegati auctores, ius succe-

den-

dendi ab intestato vterinis per *Nou. us. c. 3. et 4.* esse con-
cessum. Denegant vero vterinis facultatem, querelam in-
officiosi instituendi ob leg. 28. *C. de inoff. test.* quia a suc-
cessione ab intestato ad querelam inofficiosi non valet con-
sequentia. Quo vero iusto ordine procedamus, in ori-
ginem ac rationem huius legis 27. inquirere, constitutum
nobis est. Tempore quidem **DIOCLETIANI** et **MAXI-**
MINIANI nemini, nisi fratribus germanis et consanguineis
ius succedandi ab intestato competebat, quod appa-
ret ex l. 21. *C. de inoff. test.* Pari modo **CONSTANTI-**
NVS in l. 1. *C. Theod. de inoff. test.* disposuerat, ne fratres
vterini ad hanc querelam admitterentur, quia vinculo co-
gnationis tantum coniuncti et per consequens a successio-
ne ab intestato exclusi erant. Haec **CONSTANTINI**
Constitutio iussu **IVSTINIANI** l. 27. *C. de inoff. test.* Co-
dici R. P. inserta a **Triboniano** vero in quibusdam immu-
tata est. Quae mutatio variis difficultatibus circa hanc
questionem ansam dedit. Imprimis hoc refero quod **Tri-**
bonianus clausulae in Cod. Theod. relatae: *durante agnatio-*
nē, duas voculas *vel non*, adiecerit. Quod vel ideo fa-
ctum esse contendo, quia **Tribonianus** hanc **CONSTAN-**
TINI constitutionem legi Anastasianaem consentaneam fa-
cere voluit, qua fratres emancipati a successione haud re-
pulsi fuere. Quum vero vterinis idem ius ab intestato
succedendi, quod consanguineis emancipatis concessum
mob

E

erat,

erat, nondum Iure Civili competenteret, hic quoque arti-
culus in *l. 27. all.* non mutatus relinquebatur. Iam vero
anno 532. Imp. IVSTINIANVS per specialem decisionem
quae continetur in *l. 14. C. de leg. bered.* disposuit, ut libe-
ri sororis vterinae vna cum germanis eorumque liberis ad
successionem admitterentur. Hane vero Constitutionem
postea anno 534. per nouam *legem scil. ultimam C. de legit.*
bered. ira declarauit, ut fratres vterini vna cum consanguineis
ad successionem ab intestato venirent. Attamen mi-
randum est, *l. 27. C. de inoff. test.* anno 534. Codici R. P.
insertam, quum per *leg. vlt. all.* iam sublatam eam esse con-
stet. Triplici vero ratione hoc defendi posse credo. Pri-
mo enim ex subscriptione *legis vlt. C. de leg. bered.* patet, eam
Idibus Octobris promulgaram esse. Pone autem *legem 27.*
cit. mense Iunio aut Julio compositam esse, sequeretur,
Compilatores iure meritoque hanc legem Codici R. P. in-
serere debuisse, cum eo tempore nondum sublata esset.
Deinde si etiam concederemus, laudatam *legem vlt.* iam
fuisse publicatam, cum *l. 27.* compilaretur; attamen lar-
ga manu nobis se offerunt eiusmodi exempla, leges se
inuicem derogantes Codici esse inferras, vid. *leg. 34. et*
36. §. vlt. C. de donat. Qua propter merito concludo, com-
pilatorem huius legis, mutationem hanc suscipere, ne-
cessarium haud existimasse, quia iam regula adoptara erat:
lex IVSTINIANI derogat legi CONSTANTINI. Aut tan-
dem

dem creditu verisimile est, Compilatorem, cum haec noua iura conderet, et vterinos cum consanguineis exaequaret, non cogitasse CONSTANTINI Constitutionem. Si autem ex adductis satis superque patet, leg. 27. C. de inoff. test. esse per leg. 15. C. de legit. herod. sublatam, sequeatur porro, omne impedimentum, vi cuius olim vterinis adiutor ad hanc querelam praeclusus erat, cessare debe-re. Et haec noua iuris dispositio postea per Nou. 118. C. 4. magis magisque corroboratur, cum Imperator in hac Nouella omne discrimen inter agnatos et cognatos sustulerit, constituens, fratres vnlaterales h. e. qui ex uno parente coniuncti sunt defuncto, sive per patrem solum sive per matrem, ad hereditatem admitti, adeoque etiam fratribus germanorum liberis tantum existentibus postponi debere. Si autem verum est, quod olim vel ideo vterinis haec querela denegaretur, quia ob defectum vinculi agnationis, non habebant ius succedendi, et hoc discrimen agnationis cognitionisque per saepe lundatas leges sublatum, simulque ius succedendi iis concessum sit, merito a successione ab intestato ad querelam inofficiosi valet consequentia. Quod et inde confirmatur, quia IUSTI-
NIANVS in Nou. 118. c. 4 de omni successione, quae imme-diate ex lege descendit, locutus est, his verbis: *Nul-lam vero volumus esse differentiam IN QUACUNQUE SVC-
CESSIONE aut hereditate inter eos, qui ad hereditatem vo-*

cantur, masculos aut feminas, quod ad hereditatem communiter definitius vocari, siue per masculi siue per feminae personam defuncto iungebantur, sed in OMNIBVS SUCCESSIONIBVS agnatorum cognatorumque differentiam vacare praesupponimus. Neque obstat, IMPERATOREM in sequentibus foliummodo successionis ab intestato mentionem facere, quod ea de causa factum fuisse videtur, quo ea quae generaliter de successionibus in antecedentibus ordinauerat, ad singularem illam speciem applicaret, de qua in prioribus huius Nouellae capitibus disposuerat. Stat itaque sententia nostra: uterini competere inofficiosi querelam. Confirmat haec thesin BOEHMER in Dissert. de querela inofficiosi fratrum consanguineorum, et qui eius vestigia pressit B. HEINEKEN, quem etiam post fata inter nosfros Commilitones veneramus, in diss. de parentibus et fratribus ex leg. 30. Cod. de inoffic. testamento agere valentibus.

ERROR. IX.

Fere inter omnes, immo etiam in foro obtinet opinio, onus probandi, se non fuisse ingratos, incumbere fratribus. Hanc opinionem alunt GASSERVUS de origine querelae inoff. §. 29. in not. BOEHMER in Doct. Pand. tit. de liberis et postib. §. 31. HOPPIVS in Exam. ad tit. de exhibet. lib. qu. 26. et in Comment. ad Inst. cit. tit. §. 1. STRUVIVS in Iurispr. R. G. lib. II. tit. 17. et in Synt. I.C. Exerc.

X. bt.

X. tb. 18. STRYCK in V. M. tit. de inoff. test. §. 15. TITIUS in Iur. pr. R. G. Lib. VII. C. 14. §. 19. Omnes allegati Auctores ad ynum omnes in eo consentiunt, quod frater onus probandi in se suscipere teneatur, se infidias vitas non struxisse, nec cum capitalis criminis accusasse, neque se fratri dolo aut lata culpa magnam bonorum iacturam intulisse. Dissentientes opinionem suam per l. 3. s. et §. 1. D. l. 28. C. de inoff. test. l. 2. C. de probat. corroborari credunt. Sed ut brevibus praecidam, credo omnes has leges esse per Not. n. c. 3. abrogatas, quia IUSTINIANVS illud testamentum inofficium esse, statuit, quo heres institutus illum, cui legitima debetur, fuisse ingratum, in probatione succumbat. Neque video, cur diuerfa iura in liberis parentibusque exheredibus, et in fratribus obtinere debeant, praesertim cum eadem ratio adsit, ubi vero eadem est ratio, ibi quoque eadem legis dispositio esse deberet. Quum vero heredi instituto, exhereditatis liberis et parentibus, onus probandi iniungitur, eodem modo ob eandem rationem, fratribus exhereditatis, heredi instituto probatio iniungenda erit. Et quis quaeso! est, qui regulam quilibet praesumitur bonus, donec proberetur contrarium, ignorat. Nonne debet ob hanc regulam, cum nulla adest in legibus fundata exceptio, de fratre praesumi, eum fuisse bonum ac gratum, donec heres institutus contrarium probauerit? Quis porro iure

reiicit regulam: Affirmanti incumbit probatio, non neganti. Ex qualuice meridiano clarius sequitur: Heredem institutum probare debere, fratrem fuisse ingratum. Quilibet etiam, qui mente sana in corpore sano praeditus est, mecum consentire deberet, probationem mere negatiuam esse plane impossibilem, quapropter etiam Imperator in l. 23. C. de probat. expresse sancit: negantis per rerum naturam nullam esse probationem. Sed fac, negantue aliquid probari posse, quis mortalium est, tam ingeniosus, ut hunc modum probandi nos doceat? Fortasse per testes, per documenta, aut alia ratione? Sed attendas velim, quod singulis articulis subiucere debeas; dicas Articulus isti negatiuus, und beruhet in prae sumptione juris. Hoc vero si verum est, nulla probatio fratri imponi potest, quia iura nostra id prae sumunt, quod ut proberur, est impossibile, et non prebatum quoque credi deberet. At obicietur nobis fortasse, auctorem reo iuramentum deferre posse, quod si heres institutus praefastare recuset, testamentum esse rescissum er fratrem obtinere hereditatem ab intestato. Verba profecto bene excogitata! Sed quae so! cogites, an hoc sit probare, cum omnia fidei ac religioni alterius committis, et perpendas, an non ille, qui iam infamia quadam laboret exoptatam hanc occasionem arrepturus sit, ad amplam hereditatem consequendam, cum tantum de credulitate, quia est factum alienum, iu rare

rare debeat. Facile quoque heres credere potest, fratrem ingratum fuisse, quia ipse testator eum ingratum declarauit. His exaratis, stat nostra sententia, heredem institutum probare debere, fratrem fuisse ingratum, quod placet etiam GRIBNERO in diff. vtrum fratres instituta quærela iuicificiosi probare teneantur, se non fuisse ingratos.

ERROR. X.

Neque eorum opinio nobis arridet, qui contendunt, legitime exheredatos quoad computationem legitimae non esse connumerandos, sed pro mortuis habendos. Placet haec opinio BOEHMERO in *Introd. in Dig. b. t. §. 6.* BERLICH. P. II. concl. 12. BRVNNEMANNO ad l. 10. §. 4. D. de B. P. cont. tabb. CARPZO V. P. III. Conf. 10. Def. 12. et 13. LVDOVICI in *Doct. Pand. b. t. §. 6.* Aduersarii pro adstruenda sua adassertione hoc fundamento nituntur, quod exheredatus pro mortuo habeatur l. i. §. 5. D. de coniung. cum emanc. indeque eos numerari non posse credunt. Concedo quidem exheredatum haberi pro mortuo respectu successionis ex testamento, quo exclusus est, non vero respectu successionis ab intestato; legitima autem est portio eius, non quod ex testamento, sed ab intestato reliquum est. Praeterea fictio iuris in l. i. §. 5. all. tantum obtinet in casu ficto; in lege enim allegata fictio in fauorem succendentium est introducta, quæ in odium eorum detor-

detorqueri nequit, neque delictum exhereditati aliis noce-re potest, quod omnino fieret, si exheredatus non con-numeraretur. Ratio itaque huius fictionis est, ut liberi exhereditati, iure representationis una cum reliquis in avi bona, qui filium exhereditauit, succedere queant. *I. L. §. 5. all.* Repraesentare autem viuum nullo modo possent, nisi sieste pro mortuo haberetur. Ex quibus porro patet, quod, si e duobus liberis unus est exheredatus, non au-geatur alterius legitima, sed maneat tertia pars dimidiae hereditatis, si vero ex quinque unus est exheredatus, au-geatur legitima, et sit semis ac si quinque essent; vid. me-rito leg. 8. §. 8. *D. de inoffic. test.* In meam partem abire video *BAYERVM in Del. I. C. b. t. pos. 28. sequ. cocce-iyM in Iur. Cont. b. t. qu. 29.*

ERROR. XL

Iamiam operae quoque pretium erit eorum erro-ri obuiam ire, qui statuant praeteritionem parentum a liberis, vel liberorum suorum et emancipatorum a pa-tre factam, esse loco exheredationis, adeoque querelam inofficiosi locum inuenire. Fautores huius adseri se praebent *HEINECCIVS in Elem. Iur. Ciu. b. t. §. 582. et 583. STRYCK in V. M. b. t. §. 7. GAILIVS L. II. obs. 15. n. I. CARPZ. P. III. Conf. 9. Def. 3. BRVNNEMANN. P. V. Dec. 26. et ad Auth. Ex causa C. ae lib. pract. n. 3. 4. 7.*
Quo-

Quoniam vero fundamento eorum opinio nitatur non sat
tis perspectum habeo. Prouocant quidem ad *Nou iij. c.*
3. pr. vbi dispositum legimus: Sancimus igitur, non licere
penitus patri, vel matri, aut auo, vel auiae - - liberos
praeterire, aut exheredes in suo facere testamento etc. Sed
cuilibet textum inspicienti facile patebit, IMPERATOREM
secundum iuris tenorem disposuisse, et praeteritionem
ad matrem, exheredationem vero ad patrem restrinxisse.
Sententia itaque IMPERATORIS est, quod patri et
auo non licet exheredare, sicuti nec matri nec auiae praete-
rierire liberos, nisi causa exheredationis sit adiecta. Cum
enim parentes paterni sint alii, alii materni, praedica-
ta haec referuntur ad subiecta, quibus ex iuris ratione
conueniunt. Arridet itaque contraria sententia, praete-
ritionem parentum a liberis, suorum emancipatorum-
que a patre non esse loco exheredationis, adeoque ob
praeteritionem non inofficiosi, sed nullitatis querelam
locum habere. Quam vero differentiam exhereditatio et
praeteritio constituant iam *Error IV.* docet. Filium ex-
heredem scribere vel praeterire patri antiquissimis tem-
poribus licebat *vid. §. 1. Diff.* Iure vero nouo, si filius
a patre est exheredatus, licet ex iniusta causa, valet te-
stamentum, et tantum per querelam inofficiosi quoad he-
redis institutionem rescinditur. Si vero filius a patre est
praeteritus, licet ex iusta causa nihilominus testamentum

declaratur nullum. Ex quibus omnibus satis apparet, quantum inter exheredationem et praeteritionem discrimen versetur. Haec nostra sententia confirmatur per pr. *Inst. de exhered. lib. vbi expressis verbis sanctum: sed qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem instituat, vel exheredem cum nominatim faciat, alioquin, si cum silentio praeterierit, inutiliter testabitur.* Si itaque filius nec institutus nec expresse exheredatus est, testamentum est nullum et nullitatis querela locum inuenit. Quae constitutio cum nullibi immutata sit, adhuc valere debet. Hoc vero priuilegium praetereundi militi, matri et maternis ascendentibus tantum concessum est per §. 6. et 7. *Inst. de exhered. liber.* quod nullo modo, cum priuilegia strictissimae interpretationis sint, ad patrem extendi potest. In hoc itaque casu praeteritio eundem habet effectum, quem exhereditatio, et nihil hactenus mutatum apparet. Huic sententiae subscribunt LAVTERBACH b. t. et COEIVS b. t. qu. 5.

ERROR. XII.

Quo vero ad finem instituti progrediar, hic error agmen claudat: totum corruere testamentum tam quoad heredis institutionem, quam quoad legata, fideicomissa, ceteraque testamenti capita; si collateralis contra collateralis testamentum querelam inofficiosi instituat.

Defen-

Defensores huius opinionis sunt: BOEHMER in Doct. Pand. b. t. §. 18. LUDOVICI in Doct. Pand. b. t. §. 15. LAVTERBACH in Comp. Iur. b. t. HOPP ad Inst. b. t. p. 419. GAIL. L. II. obf. 13. n. 7. GASSERVS de origine querelae inofficiosi §. 31. Laudati Defensores asylum quaerunt in vetere principio: *corruente principali, corruere quoque accessorium.* Quod quidem principium, in parentum liberorumque testamento omni efficacia ac vi destitutum esse contendunt ob Nou. 15. Quum vero nihil de collateralibus in ea dispositum legitur, merito huic principio ratione collateralium insistendum esse, credunt. Quod etiam corroborari arbitrantur, quia in Nou. 22. c. 47. nihil hac de re immutatum inuenitur. Si vero ICTUM decet, aequitatem et analogiam iuris sequi, hanc opinionem optimo iure reiicimus. Licet enim in Nou. 22. c. 47. et Nou. 15. c. 3. parentibus liberisque ius datum sit, heredis institutionem rescindendi, ceteris testamenti capitibus saluis, non inde efficitur, hoc ius ad collaterales si hac querela vti velint, non esse extendendum. Sufficit enim 1) per Nou. 15. c. 3. fratribus competere ius testamentum fratris per querelam inofficiosi rumpendi. Haec querela vero non rescindit totum testamentum, sed heredis tantum institutionem per Err. I. adeoque in testamento fratris non plus operare potest, quam in testamento adscendentium descendantiumque. Neque alia adest ratio,

tio, ob quam fratribus haec querela datur, quam quae parentibus liberisque hanc querelam concessit. Vbi vero eadem est ratio legis, ibi quoque eadem legis dispositio, idemque legis effectus esse debet. Ex quibus autem constat, in *Nou. us.* sancita ad fratres, omnino pertinere.
 2) Adebat quoque necessaria consequentia, quia alias fratres melioris essent conditionis, quam parentes et liberi, quod absconum foret. Fratres vero essent melioris conditionis, si iis liceret totum testamentum expugnare, quod ne parentibus quidem vel liberis licitum, quorum conditio omnino melior esse debet. Consentiantur

BAYER in Del. I. Ciu. b. t. pos. 35. COCCLEIVS

in I. Cont. b. t. qu. XI.



GENEROSSISSIMO AC PRAESTANTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Si in eo bonissimus quisque conuenit, quod iam olim VIR-
GILIVS veribus celebravit :


*- - - famam extendere factis
hoc virtutis opus. - - -*

*Quid est, quod etiam TE, mer WITTORFF, ita alloqui, du-
bitem, cum iam in eo sit, ut famam TVAM factis boidis
extendas. Peruagata eadem est ab eodem tempore, quo Aca-
demiam nostram Julianam Carolinam salutasti, Praeceptores-
que TVI illustri laude perspicui, tantum abest, ut industriae
modestiaeque TVAE testes esse recusent, ut TE in optimorum*

nume-

numerum iure meritoque referant. Et ego sans mibi bono-
rificum fore arbitror, si inter Auditores meos talem TE ex-
titisse publice profiteor, qualem non vulgari iuris cognitione
contentum, sed summo cum studio ad altiora adspirantem,
esse oportet. Gratulor itaque mibi, quod hanc Dissertatio-
nem a Themidis sede defendendam hilari suscepereis animo.
Omnia TVA suscepta felici euentu ornata me augurem non
fallacem excitant, TE ut nunc, ita et in posterum decus or-
nementumque nostrae Iuliae Carolinae futurum, splendorem
que a MAJORIBUS TVIS acceptum conseruaturum, et mo-
do augeri possit, certo certius auferum. Viuas diu, felix
et sospes, colligasque mox virtutis TVAE fructus uberrimos.
Amore prosequaris ut bastenus, ita et in posterum TE aman-
tem abs TE peto. Vale, faueque. Dab. Helmstadii d.
XXIV. Oct. cIcCCLXIII.





ULB Halle
003 742 423

3



f

TA → OL

nur Tit 3 Stück verknüpft

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

DISSERTATIO IVRIDICA

D E

ERRORIBVS QVIBVSDAM

CIRCA

QVERELAM INOFFICIOSI
TESTAMENTI

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

CONSENSV

SVB PRAESIDIO

CAROLI FRIDERICI PAELIKE

I. V. D. ET SOCIET. TEVT. DVC. MEMB. HONOR.

IN IVLEO MAIORI

AD D. XXV. OCTOBR. cIcIcCCLXIII.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B M I T T I T

ADOLPH. HEINR. FRID. GOTTL.

A WITTORFF

E QVES LVNEBURGENSIS.

HELMSTADII

E TYPOGRAPHEO VIDVAE SCHNOKRIANAE, ACAD. TYPOGR.